

August Varenius Jacobus Schultz

Breviarii Theologici Controversiarum, post publicatam Formulam Concordiae, inter Theologos Aug. Confess. agitatarum Dissertatio ...

16 : De Re Interna Baptismi

Rostochii: Kilius, 1676


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74620518X>

Band (Druck) Freier  Zugang



RU theol. 1676

Varenius, Aug. /a



BREVIARIUM THEOLOGICUM
Controversiarum, post publicatam FOR-
MULAM CONCORDIÆ, inter Theologos
Aug. Confess. agitarum,
DISSERTATIO XVI.

De
**RE INTERNA
BAPTISMI,**

Quam
MODERATORE ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ
Respondente olim, de Baptismo consultori
Nicodemo illud:

*Amen, amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spi-
ritu, non potest introire in regnum DEI. Quod
ex carne genitum est, caro est: & quod genitum
est ex Spiritu, Spiritus est.*

Consensu venerandæ Facult. Theol.

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, D.

Sereniss. Duc. Mechl. Theologo Professore, Consistorii Ducum
Assessore, Collegii Theologici Seniore

publica collationi Academica d. XX. Maij. A. O. R. cl. lxxvi.
in Auditorio Magno hor. ab 8. antemer. submitteet

JACOBUS Schulz/Medenavia Borussus

ROSTOCHII,

Typis baredum JOHANNIS KILLI, Universitatis Typogr. Anno 1676.

Universitäts
Bibliothek
Rostock

1676

V I R O

Generoso, Pranobilissimo & Maximè strenuo

DOMINO

DN. FABIANO WILHELMO à Königsberg

Sereniss. ac Potentiss. Elect. Brandenb. &c. &c.

Dicasterii in Prussia Aulici Consiliario Gravissimo, Ha-
reditario Domino in Magarrei/Bamlen/ &c.

Patrono ac Mecænati benignissimo.

ut &

V I R I S

Excellentissimo. Admodum Reverendis, Doctis & Smiss

& Praclarissimis Dominis

DN. PETRO MOLLERO, Phil. & Med. D.

Chem. ac Chirurg. in Illustri ad Pregelam Profess.

Publ. celeberrimo,

DN. M. JOHANNI CHRISTIANO

ISINGIO, Archidiacono Ecclesiae Cathedralis,

quae Regiomonti Prussorum est, meritissimo.

DNO JACOBO TILHEINIO,

Ejusdem Ecclesiae Diacono optimè merito

**Dominis Patronis, Promotoribus, & Fauto-
ribus Honoratissimis,**

Dissertationem hanc Theologicam in sui studio-
rumque suorum commendationem

D. D. D.

JACOBUS Schulz

Respondens.

Tu Pregelæ Varrum iungens, sub Præfide Magno
VARENIO, qualis sis, satis ore probas.
Laudo conatus. Lætetur Prussica tellus,
Atque Parens, talem se genuisse sibi.

*Præstantissimo atque Doctissimo DN. SCHULTZIO,
Commensali & Domestico suo, ob insignem
in moribus & literis elegantiam sibi com-
mendatissimo gratulaturus scrib.*

M. JOHANNES Manßel/

Gr. Lit. P.P.

Baptizare Sacris, quod competat usque Ministris,
Cui sacra scripta patent, num dubitare potest?
Attamen, ut ritè formet sua dogmata Præco,
Theiologus Prudens prospicit atque docet.
Ergo, quod Illius testantur facta Ministri,
Hæc pia Theiologi dogmata, credo, probant &
Immo, respondent, quin sunt affinia semper
Cathedra Præconum, Pulpita Theiologum.
SCHULTZI, Delicium, quin Pars certissima vitæ,
Quæ Tibi Doctorum dicere fata jubent!
Dum reverenda Sacri Baptismi dogmata tractas,
Hæc sacra, non dubito, dogmata, facta loqui.
Esto! Laboris opes Pia Patria, Prussia Dulcis,
Omne felici, condecorare parat.

*Testandi amoris ergo Honoratissimo Dn. Conter-
raneo & Commensali, felicissimo S.S. Theol.
Studio, ominabundus apposuit.*

M. JOHANNES QUANDT,

Regiomonte Prussus.

Et

ET TU, NOSTER AMOR, AUGUSTO PRÆ-
SIDE, certas;
Doctrinam prodens Ingeniumque tuum.
Perge ita; sic tandem studiorum digna Tuorum
Præmia percipies: Gratulor inde TIBI!

*Paucula hæc in Honorem Per-eximii Dni Respondenti,
Commensalis sui Honoratissimi, ap-
ponere voluit debuit*

DAVID Horn/
Stralsund.



Pulpita Doctorum Doctis conscendere solum,
His, quos Pallas amat, per pia jura, licet.
Pulpita Theologum conscendere pergis AMICE,
Omnes TE Doctum Theologumve vocant.
Et bene; TE talem Sacris impensa laborum
Cura facit; Sacrum Theologumque vocat.
Confirmare velis si quod nunc dicimus omnes,
Crede TIBI patulum culmen honoris erit.

*Paucula hæc Per-Eximio DN. RESPONDENTI,
Amicissimo DN. Conterraneo & Com-
mensali gratulabundus*

scripsit

Daniel Christoph: Beckherr.



(573)

ARTICULUS XI.

De

SACRAMENTIS N. T.

SECTIO I.

De re interna BAPTISMI.

§. I

Articulus de Baptismo, prout insignis est, & doctrinæ consolationisqve plenissimus: ita in accuratiore tractatione Theologicâ multa habet mysteriorum umbraculis opaca, è quorum numero præsens quæstio est, *de re internâ & cœlesti Baptismi*, de quâ cum jam circa primordia hujus seculi varias Theologorum sententias notasset, & conciliationem Theologicam tentavisset clarissimi nominis & meritorum Theologus D. Aeg. Hunnius, p. m. quin ipse, cum alibi, tum in Locis Theol. in loco de Sacramentis in genere, & altero de Baptismo, mentem hîc luculentè satis explanasset, obtinere tamen consensum usqve adeo non potuit, ut & vivente illo, & piè defuncto, *de re internâ vel cœlesti Baptismi*, eiusqve *presentiâ & unione cum aquâ*, in Baptismo, diversimodè & senserint & locuti pariter sint ac scripserint orthodoxi Theologi, jamjam laudato Hunnio Wittieb. Theologo constanter tenente, & docente, *Baptismi rem internam & cœlestem partemq;* sic (Theologicè loquendo) *essentialem Sacramenti, esse SS. Trinitatem*, & pro illâ thesi sustinendâ, ad *sedem Institutionis Sacramenti hujus* Catholici Matth. 28. 19. provocante, D. Mylio, Jenensi Theologo, Hunnii *συγχέω*, in utroqve Sacramento N. T. & ad eò in Baptismo æqvè ac S. Cœnâ, non *SS. Trinitatem*: sed *Corpus & Sanguinem Christi*, rem illam cœlestem, quæ cum Ele-

D d d

men-

mento Aquæ, velut re externâ, vel terrenâ, Sacramentaliter uniat, olim asserente (vid. ille in disp. de signo & signaculo thes. 12. & alibi) quam Mylii thesin amplexus quoque videtur Hutterus in disput. in August. Confessionem, & eandem aliquando vehementer defendere ac persuadere laboravit Paulus Tarnovius. Atque pro illâ thesi præcipuè provocatum est ad loca scripturæ sequentia e. c. ad Coloss. 2. 17. Hebr. 10. 1. 1. Joh. 1. 7. Apoc. 1. 5.

§. 2. Menzerus contra, tutissimum æquè judicans, Christi hic verba & ex his sensum tenere, regenerari hominem ex Aquâ & Spiritu Joh 3. 5. rem internam, quæ per verbum institutionis uniat cum aquâ, statuit esse SPIRITUM SANCTUM, & per hunc, totam Trinitatem, nec excluso adeo Filio, eodemque incarnato l. toto θεασθῶντων, ipsoque Christi sanguine, sic ut rectè & catholicè dicatur: In Baptismo nos à peccatis mundari virtute Sanguinis Christi. At Barthol. Battus, Theologus quondam Gryphisvaldensis, licet non simpliciter improbare, tamen nec per omnia approbare voluit sententiam Mylii, quin proximè accessit ad sententiam Hunnii. Juxta illum sc. & Circumcisionis in V. T. & Baptismi in N. T. res interna fuerit SS. Trinitas, quod ex ipsâ institutione & primariâ illorum Sacramentorum sede doctrinali deducit, sc. ex Genesi c. 17. 7. 8. 10. 11. 14. Matth. 28. 19. Neque verò, inquit, sic simpliciter excluditur Corpus & Sanguis Christi: quoniam saltem negatur, esse id, quod immediatâ ratione, in S. cænâ cum pane & vino: sic, ut in Baptismo, Sacramentaliter cum aquâ uniat. Uniat verò ratione quadam mediata, quatenus sc. est mediæ, SS. Trinitatis, persona, Filius Dei (qui οὐνώδῃ κοινωνίᾳ cum Patre & Spiritu S. est res interna Baptismi, cum aquâ per Verbum institutionis Sacramentaliter copulata) personaliter proprium Corpus & Sanguis, s. quatenus Filius cum Patre & Spiritu S. non extra: sed in assumptâ humanitate (quæ per

per unionem personalem cum Filio Dei, in intimum et ad complexum assumpta est, & ad eam pertinet) est res illa caelestis in Baptismo, cum aqua sacramentaliter copulata, idemque in Baptismo virtutem uniti corporis & sanguinis sui non absentis: sed presentis, ad ipsorum Baptizatorum in se infusionem & incorporationem applicat. Cumque ad accedendum propius sententiae Mylianae vehementer urgeretur, vel illo ipso, quod asserendo utrobique; cum in coenam Dominicam: tum in Baptismo, Corpus & Sanguinem Domini esse rem internam, et si ibi cum pane & vino immediate, hic, cum aqua, mediate, copulata, re ipsa non diversum: sed eundem concessisse illis videretur conjunctionis sacramentalis modum, sola ratione & ordine a se distantem, dum sic, in Baptismo ὁ ἰσὺς & carnem: in sacra Coena caro ἰσὺς secum affert, respondit: diversitatem istam ordinis & rationis, diversitatem in modo evidentem constituere: ita, ut, quemadmodum in Eucharistia ὁ ἰσὺς proprie non est id, quod Panis & Vini sacramentaliter unitur: sed per Verba institutionis, Corpus & Sanguis ἰσὺς καὶ αἷμα : sic in Baptismo Corpus & Sanguis Christi proprie loquendo, non sint id, quod cum aqua sacramentaliter unitur: sed tota SS. Trinitas vel Spiritus S. & in hoc tota SS. Trinitas.

§. 3. Quin nequaquam ita immediate Corpus & Sanguinem Christi ad rem internam Baptismi pertinere, tali probare voluit argumento: Illa ratione Corpus & Sanguis Christi ad rem internam Baptismi pertinent, quia in circumcisione fuere adumbrata. Atque hoc non alia ratione, quam quatenus Filius Dei (qui cum Patre & Spiritu S. in circumcisione non adumbrabatur: sed velut in Baptismo, ipsa res interna erat, vigore promissionis circumcisioni annexa: Ego ero Deus tuus & seminis tui post te Gen. 17. 7.) corpus & sanguinem in plenitudine temporis in persona unitatem assumpturus erat. Ego nec alia ratione, quam, quia Filius Dei corpus & sanguinem assumpsit, illa ad rem internam Baptismi perti-

Dddd 2

nent

nent, & per consequens, non immediatè: sed mediatè, quatenus sunt Filii Dei (qui, unione essentiali, unum cum Patre & Spiritu S. res interna Baptismi est, aqua sacramentaliter copulata) personaliter propria Corpus & Sanguis. Ac ne videretur hæc ratio sive in V. T. saltem SS. Trinitatis umbram agnoscere, sive in ejus sacramentis umbram omnem negare, tale quid objicientibus respondit: Eandem quidem SS. Trinitatem utrobique rem internam, sc. tam in sacramento circumcisionis, quam Baptismi: sed aliâ ratione quoad personam secundam, quæ ibi simplex: hæc autem s. composita, & ibi adumbrata, quatenus carnis & sanguinis humani particeps futura, circumcisionem susceptura & vetus fedus per circumcisionem sancitum antiquatura erat. Negavit adeo, in V. T. ipsaque circumcisione fuisse saltem umbram Trinitatis vel ipsam Trinitatem adumbratam, et si in eâ agnovit non planè expiravisse rationem umbræ, quoad personam 2., non ratione divina natura: sed ἡ ἀλλὰ h. e. ratione natura humana, quam sc. certo definitoq; tempore assumpturus & in ea fedus novum sanciturus, ac omnem σκιαρ s. umbram veteris T. antiquaturus erat, ut adeo diverso modo & respectu Corpus & Sanguis Christi sit res interna Baptismi, quàm quæ res interna S. cænæ, & in Sac. v. T. ratio umbra sit manifesta. Ita laudatus Theologus Battus ante annos 66. sententiam Theologicam peroravit, & uti constantiam testaretur, addidit, quæ non minùs legi merentur: In hæc simplicitate eò libentiùs acquiesco, quod præcuntem sequar, post Christum, Prophetas, Apostolos, B. Lutherum, cum alibi tum in Concionibus ejus doctissimis de Baptismo rom. 4. Germ. Witteb. quodque per illam corpus & sanguis Christi, non simpliciter ex Baptismo elidantur: sed saltem negentur esse immediatè id, quod aqua sacramentaliter in eo unitur, mediatè tamen uniri asseritur, ut sint res Baptismi interna, non quidem ἀμέσως, ἀνώτως, ἀνεύτως, s. immediatè, primariò, & principaliter, omnino tamen ἐμμέσως, δευτέρως, s. mediatè & secundariò.

§. 4. At paulò aliter Gravverus, qui præmissò problemate: *Quomodo panis & vinum, corpus & sanguis Christi sine partes essentielles S. Coena, aqua eademq; unita SS. Trinitas, Baptismi, & sic res interna, sc. cœlestis, non minus, quàm elementū externū, substantia, essentialis pars Sacramenti, cum tamē Sacramenta sint actiones, actiones autem sint accidentia? An fieri possit ut substantia sit pars essentialis accidentis? quod quidem absurdum philosophicum sit & contradictorium, præmissò pariter illo Augustini: Accedat verbum ad Elementum & sit Sacramentum, hâc ratione decidendum $\kappa\epsilon\upsilon\omicron\mu\epsilon\tau\omicron\upsilon$ præsens statuit: Quemadmodum, inquit, omne Sacramentum in genere, duas habet partes essentielles Elementum sc. & verbum institutionis & mandati: ita quoque Baptismus, imo cujuslibet sacramenti partes essentielles erunt, hoc Elementum externum, & HOC verbum institutionis & mandati: atque sic in Baptismo, HOC elementum (Aqua) & HOC verbum: *Baptizate in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti*: ut sic, juxta Gravverum, *res interna $\kappa\epsilon\upsilon\omicron\tau\omega\epsilon$* sit ipsum institutionis & mandati verbum, pro quo allegat locum Ephes. 5. 26. ubi mentio purificationis Ecclesie, qua fiat lavacro aqua per verbum. Neq; tamen Gravverus videri voluit recessisse à sententiâ Hunnii, quin D. Mylium potius hic æquè ac suprâ notavit, velut singularem, quem in his & pauculis aliis sequi parum tutum judicavit, & expresse Gravver. Hunnius SS. Trinitatem Baptismi partem essentialem eamque rem internam statuit, cujus sententia verior & scriptura propinquior est, quàm Mylii: cumque Mentzerus objecisset Gravvero: *Si verbum institutionis, vel illud mandati: Baptizate in nomen P. F. & S. S. est res interna Baptismi E. & illud verbum mandati: Accipite, edite. Hoc est Corpus meum. Bibite, Hoc est Sanguis meus, erit res interna & pars essentialis Sacramenti Eucharistici, non autem corpus & sanguis Christi*, reposuit Gravverus, quoad primum concedendo, quoad consequens, negando, quin invertendo potius*

tius, Imo quia in illis verbis expresse memoratur corpus & sanguis Christi, proinde pars essentialis (Theologicè loquendo) dici quoque potest corpus & sanguis Christi, & sic res interna Sacramenti Cœna; Pariter, quatenus in verbis institutionis s. mandati Sacramenti Baptismatis, SS. Trinitas exprimitur, rectè inferri inde statuit, partem essentialem Baptismi esse, Baptizari in nomen SS. Trinitatis, & sic ipsam SS. Trinitatem, quæ ipsissima sit sententia & Lutheri & Hunni, & Collegæ tunc Gravvero D. Majoris: sed & D. Schachtii, juxta quem, ceteroqvi Omnium sacramentorum N. T. res interna & essentialis est Christus θεὸς ὁ ζωὴς & c., qui presentiam suam verbo certo ad elementa alligavit, & subsacris Symbolis comprehenditur, & Totus adeo Christus, non divisim: sed conjunctim ipsaque sic caro & sanguis Christi.

S. 5. Et apparet sanè, sententias, utut diverse alicubi videantur, disparatas planè & oppositas non esse: sed conciliabiles, et, si juxta analogiam fidei subordinentur, in sensu composito, Catholicas omnes, & in tali subordinatione approbandas: quomodo Hulsemannus in Breviario cap. 10. Datur, inquit, præter materiam Baptismi externam & visibilem, etiam interna & invisibilis, à speciali Baptismi effectu distincta, quæ aliàs dicitur verbum i. e. res verbo institutionis promissa Ephel. 5. 26. aliàs Spiritus Joh. 3. 5. aliàs Sanguis 1. Joh. 5. 6. aliàs Pater Filius & Spiritus S. Matth. 28. 19. Et hæc materia interna denominationes, non seorsim & singula: sed simul & junctim constituunt materiam Baptismi cœlestem. Quomodo & ante 25. annos, in indiculi Theologici disputatione IX. habitâ d. 16. Febr. anno 1651. thes. 47. controversiam sic decidimus. Res cœlestis Baptismi, (μυστήριον sc. quatenus ita appellatur sive id, quo mediante res cœlestis Elemento sacramentaliter applicatur, sive ipsa res verbo institutionis expressa) est Verbum institutionis (mandati & promissionis) quo sensu, Baptismus lavacrum aquæ in verbo appel-

appellatur Apostolo Ephes. 5. 6. *proprie autem & immediate* juxta regulam institutionis (Matth. 28, 19.) est *tota Ss. Trinitas*, non excluso adeo *Spiritu S.* (Joh. 3. 5.) nec *in personâ 2. Trinitatis*, *Sanguine hypostatico theodromo*, quo adeo, ratione *substantia & meriti* concurrente, & non minùs, unione illâ imperscrutabili unito, rubet Baptismus, sic ut in hoc æquè verè & immediate per sanguinem Christi mundemur à peccatis (1. Joh. 1. 7. Apoc. 1. 5.)

§. 6. In antecessum autem, ex hypothesebus in sect. 7. Articuli superioris propositis hic repetimus hypothesein XI. de *regulâ Sacramentorum N. T.* quoad *singulorum inprimis rem internam*, non dandâ in umbrâ *Sacramentorum V. T.* nec rectè, *clariù ex obscuriori*, prius vel notius nobis ex posteriori vel ignotiore, probari, committiqve adeo Paralogismum, quando sive positivè, sive negativè ab illis *Sacramentis V. T.* ad *Sacramentorum N. T.* rem internam infertur, quomodo non valet: *Ss. Trinitas in circumfisione non fuit res interna per umbram. Ergo nec in N. T. erit res interna Baptismi*, quippe ibi non adumbrata. Ita: in Umbrâ *Agni Paschalis* non fuit distincta *bibitio Sanguinis Agni. E. in Sacramento Cœnæ Domini* non dabitur distincta *manducatio Corporis vel carnis agni Dei*, & distincta *bibitio Sanguinis*, quod contra evidentè regulam institutionis est. Scilicet, quod jam supra monuimus, licet totus *V. T. cultus, Sacramentalis æquè ac sacrificialis*, ad *Christum ejusdemque consumatissimum in cruce sacrificium & Sacramenta respexeris*, inde tamen ad ipsam *formalem rationem cum sacrificii, tum Sacramenti N. T. vel hujus rem internam*, *præciso primario respectu*, ad ipsam institutionem, periculosè infertur: quin, ne inde texantur argumenta *natura tum generica, tum specifica Sacramentorum N. T.* repugnantia, interest omnino, de *singulorum Sacramentorum substantiâ & re internâ*, ac hujus unione cum externâ, suppositâ naturâ *Novi Testa-*

Testamenti, ex singulorum Sacramentorum N. T. institutione
judicium primum & infallibile formare.

§. 7. Neque tamen ex assertâ SS. Trinitate, re internâ cum
Sacramenti circumcissionis in V. T. tum Baptismi in N. T. peri-
mitur ratio *umbrae* in circumcissione, vel rei adumbratæ in Ba-
ptismo, & contrâ ex assertione *umbrae* & adumbrati nō perimi-
tur SS. Trinitas velut res interna *Baptismi*. Legitimaturs illa
ex hypothesibz superioribz 7. sect. Quoties adeo à relatione um-
brae & adumbrati in re internâ Sacramentali, simpliciter infer-
tur ad negationē SS. Trinitatis, velut rei cœlestis Baptismi, to-
ties committitur paralogismus à dicto secundum quid ad dictum
simpliciter. Licet enim secundum quid, sc. in personâ Filii Dei,
habitâ ratione humanæ naturæ seu ipsius corporis & san-
guinis Christi (cujus in circumcissione fuit *umbra*, in Baptif-
mo autem datur substantia) in sacramentis illis relatio detur
umbrae & rei adumbratæ; licet quoque ipsam *Baptizari in no-
mine SS. Trinitatis*, & ipsa sic operatio sacramentalis in genere fu-
erit adumbrata in V. T. cum in circumcissione tum in baptismo ty-
picis (conf. Coloss. 2. 12. 1. Cor. 10. 2. Exod. 14. 19 10. 22. 24. 29.
30. 32. 1. Pet. 3. 20 21. Gen. 6. 3. 6. 7. c. 7. 18. cap. 8. 4. 16. 21.) tamen in-
de non valet illatio negativè, sc. Ergo quod nec fuit *umbra*,
nec est ipsū adumbratū *σῶμα*, illud nec fuit, nec est res interna,
sive olim in V. T. Sacramenti circumcissionis, sive nunc in N. T. Sa-
cramenti *Baptismi*. Atq; SS. Trinitas Ergo. Deniq; prout non ex
adumbratione typicâ, nec ex analogiâ quâdâ Novi Testamenti
specificâ: ita nec ex concomitantâ, sive Physicâ, sive hypoſta-
ticâ, pronuntiandum est de singulorum N. T. Sacramentorum
re internâ propriè & strictè sic dictâ. Conſtabit illud ex hypo-
thesibus superioribus & analogiâ vel collatione sacramenti
Eucharistici, ubi, extra peculiarē institutionem calicis, qui est
memoria sanguinis Christi si foret, vel extra illud Verbum; *Bibite.*

Hoc

HOC EST SANGVIS MEUS, ex solâ concomitantia p̄physicâ Corporis & Sanguinis, ad ipsum Sanguinem Christi velut distinctè rem internam Sacramenti inferre non liceret, prout contrâ, in medio positâ reverendâ illâ Angelis & hominibus institutione, quam sancta Sion prima scil. Ecclesia, usque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit (verba sunt Humberti, filii candida Episcopi & Cardinalis, celebris seculo XI. scriptoris) sub prætextu illius concomitantia, sumta tantummodò Corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstinere, & sic unum idemque mysterium, vel Sacramentum dividere, Gelasius Episcopus Rom. & seculo V. scriptor celebratus, sententiâ etiâ Juri Canonico, can. comperimus, de consecratione dist. 2. insertâ (etsi malè, in rubro, ad Sacerdotes restrictâ) grande Sacrilegium judicavit, ex cathedrâ decernens, ut communicantes, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Pariter ex concomitantia animæ & corporis vivi physicâ, ejusdem vel Sanguinis quoque; & λόγου hypostaticâ, ad λόγον, vel animam, rem internam Sacramenti Eucharistici non valeret illatio. Ita in Baptismo, de cujus re internâ subjicimus nunc conclusiones sequentes.

§. 8. Concl. 1. Datur Omnino præter materiam Baptismi externam & visibilem, etiam res interna cœlestis & invisibilis, à speciali effectu Baptismi distincta. Non defuerunt, qui de re internâ Baptismi peculiari & propria, prorsus tacendum statuerunt, velut de quâ nihil in scripturâ & primariâ propriâque sede doctrinali Matth. 28. 19. expressum: cum verba illa: *In nomine Patris & Filii & Spiritus S.* ex communi interpretum consensu longè aliud velint, quàm, rem internam vel cœlestem Sacramenti per illa notari. Contrâ. aut nulla datur res cœlestis Baptismi, aut nulla alia, quàm illa communis ex naturâ Novi Testamenti, aut peculiaris & propria hujus Sacramenti. Non 1. quia sic non foret Sacramentum N. T. Non 2. quia sic non specificè

Eccc distin-

distinctum satis à Sacramento Eucharistico. E. 3. Probatum 2. ex collatione Sacramenti Eucharistici, in quo datur peculiaris *res interna vel cœlestis* tali modo sacramentali unita Symbolis externis, quæ determinari non poterat ex analogiâ Sacramentis N. T. communi. E. & in Baptismo. Sed & 3. axioma Theologicum est: *O. Sacramentum, in primis N. T. constat materiâ vel re substantiali geminâ, unâ externâ terrenâ, alterâ cœlesti internâ.* Quomodo autem, cum Sacramentum sit actio, vel totum quoddam morale complexum, constans pluribus actionibus, & adeo singulæ partes, actiones, nihilominus, illa actio, quæ quasi formalis Sacramenti est, & circa veram materiam & rem sacramenti substantialem, cum internam, tum externam versatur, sic ut citra illam sacramentum nec sit, nec esse possit, vel analogice saltem, essentialis s. de essentiâ Sacramenti sit & dici possit, etsi res illa substantialis hic non absolutè: sed respectivè, respectu sc. mysticæ illius actionis sacramentalis consideratur, jam supra in hypothesebus est notatum. Quin in utrâque objectione superiori petitur principium. A diversitate enim quadam sententiarum circa totam rem internâ Baptismi, ad negationem rei internæ Baptismi distinctæ: sed & à variâ verborum illorum in regulâ Baptismali substantialium applicatione, ad negationem ejusdem rei internæ illis verbis significata non V. C. Utrobique prius conceditur: posterius negatur: nec reperire facillè licebit orthodoxum Theologum, qui simpliciter neget peculiarem rem internam Baptismi, & hanc, in illa regulâ Baptismali insinuatam.

§. 9. Conclusio II. *Corpus & Sanguis Christi, non sunt in Baptismo, eque ac in cœnâ Domini, res illa interna cœlestis, quæ cum re externâ (aqvâ) sacramentaliter ad integrum & sacramentaliter distinctum esse specificum Baptismi unitur.* Probatum 1. O. res Sacramenti habetur in verbis institutionis (quod per inductionem faci.

facile liquidatur, conf. Matth 26. 26. 27. 28. Luc. 22. 18. 20.) vel interpretativè saltem in ipsâ naturali interpretatione & virtute literæ (quomodo *Aqua* in verbo *Baptizandi* Matth. 28. 19. conf. Matth. 3. 6. 11. 16. Luc. 3. 2. 16. Act. 10. 47.) Atque non corpus & sanguis Christi, &c. E. & adeo licet ex analogiâ communi Sacramentorum N. T. & adsit & operetur, tamen non est adæquata Baptismi materia vel *res interna*. Probatur 2. Res propria *Unius Sacramenti*, non est res adæquata & propria *alterius Sacramenti*. Atque *Corpus & Sanguis Christi*, est res interna & adæquata, vel propria Sacramenti eucharistici E. non Baptismi, cuius prout alia *res externa ita & interna*. Probatur 3. quia specialis ratio *Corporis & Sanguinis Christi*, rei internæ & cœlestis Sacramenti cœnæ, sc. *esus corporis Christi cum pane & potus sanguinis Christi cum vino*, ex mandato *Edite, Bibite!* non datur in Baptismo, unde & in hoc res externa non est *Panis & vinum: sed Aqua*

§. 10. Frustrâ. Obijciuntur loca Coloss. 2. 17. Hebr. 10. 1. Contrâ partes substantiales Baptismi, propriè & accuratè loquendo, desumi non debent ex illis locis, ubi de Institutione Baptismi non agitur: sed ex ipsâ sede institutionis, qualis non datur in locis objectis: sed e. c. Matth. 29. 19. 2. A generali quædam adumbratione Sacramentorum N. T. ad rei sacramentalis singulis N. T. sacramentis peculiaris & propriæ determinatione non V. C. Recurrendum hic ad ipsam Sacramentorum singulorum institutionem. Quæ enim consequentia? In *Lege ceremoniali fuit umbra*, in N. T. & sub Evangelio datur *imago plena*. 1. *res interna Baptismi est per omnia in V. T. adumbrata*, & adeo 2. *in N. T. & peculiariter in Baptismo, non nisi corpus & sanguis Christi*. Quin falsum: *O. rem internam Baptismi per omnia in V. T. esse adumbratam*: item: In quocunq; Sacramento Christus ut homo, vel secundum humanitatem datur ut in V. T. adumbratus, in illo Christus ut homo datur peculiariter respectu *Corporis, & Sanguinis*, ut *res interna & cœlestis illius sacramenti*. In Baptismo &c.

&c. E. falsa major. Frustra objicitur: *O. Sacramenti N. T. res interna in V. T. fuit tantum adumbrativa. Corpus & sanguis Christi fuit ibi tantum adumbrativa. E. est res interna Baptismi. Duplex quippe datur vitium in forma, unum in maiore, quæ revera particularis est, nisi sic invertatur: Omnis res interna omnium Sacramentorum N. T. &c. quomodo major falsa, & alterum adhuc vitium in forma dum ex puris affirmativis inferitur in figura 2. Sed & supponere velut certum: simpliciter omnem rem internam singulorum N. T. Sacramentorum in V. T. tantum fuisse adumbratam, immanis est petitio principii, vid. supra. Neque sive Menzerus, sive Hunnius pro probanda re interna Baptismi in contradistinctione specificâ Sacramenti Eucharistici, illis locis, vel argumento inde formato sunt usi: sed ἐλεγχτικῶς contra Sacramentarios, neq; tam in hoc, quam altero N. T. Sacramento, ad profligandas sic ex verbis substantiam Sacramenti Eucharistiæ experimentibus umbras & nebulas Calvinianas, conf. supra. Unde & frustra objicitur contradictio illis Theologis inputanda: etiam si enim in diversâ suppositione termini, rei sc. interna sacramentalis, alicubi scripsissent: *Omnium N. T. sacramentorum (ipsiusque adeo Baptismi) rem internam & cælestem esse Christum secundum Corpus & Sanguinem, & non Omnium: sed solius cæna rem internam esse Christi corpus & sanguinem, Baptismi autem rem internam esse Spiritum S. vel totam SS. Trinitatē, nullum tamen inde contradictionis domesticæ periculum, ob respectum diversum, ibi sc. communem toti Testamento & utriq; adeo unius Testamenti Novi Sacramento, hic peculiarem & proprium, sc. distinctum singulorum unius Testamenti Sacramentorum, de quorum re interna singulis peculiari & propria agitur. Notatæ jam supra sunt hypotheses reijculæ c. c. O. res interna Sacramentorum N. T. est adumbrata in sacramentis V. T. & quidem 2. plenè, ac 3. solo illo respectu, quo ibi adumbrata est, res Sacramenti N. T. (Baptismi) est, 4. solum argu-**

argumentum *ab umbrâ & ab adumbrato*, ad rem internam Sacramenti N. T. c. c. Baptismi, liquidandam, sufficit: quin s. in illo danda non partialis: sed totalis *ὁμοίως*, sic ut respectus in certo tertio non sufficiat: sed quodlibet ex typis & umbris colligere liceat. Ceterum esto

§. II. Conclusio III. *Sanguis Christi, etsi actu personale pertinet quoque ad rem Baptismi internam, tamen non est adequate, immediate, exclusivè proposita res interna Baptismi.* De primo constat inde, quod non saltim concurrat *meritorie* (qui tamen actus causæ *meritorie* vel *promerentis*, sophisticè opponitur *efficientie physicae* s. causæ verè, & non *moraliter* duntaxat: sed *physicè* efficienti) ad effectum & finem Baptismi, quomodo non saltim extrat: sed & in Baptismo à peccatis mundamur sanguine Christi (quo etiam respectu rectè afferuntur loca 1. Joh. 1. 7. Apoc. 1. 5.) sed & quia Filius vel *ὁ λόγος & caro factus*, res Baptismi creditur, *Sanguis Christi* à re interna Baptismi simpliciter non excluditur, quin triplici respectu 1. *Novi Testamenti* 2. *hypostaseos* 3. *efficacia & energia*, includitur. De posteriori constabit ex superioribus hypotheseibus, & defectu mentionis expressæ ac distinctæ Sanguinis Christi, in sede doctrinali hujus Sacramenti. Nec solida est illatio: *Mundamur per Sanguinẽ Christi*. E. hic est propriè loquendo *res interna Baptismi*. *Purgamur à peccatis per mortem Christi, per resurrectionem, per fidem*. E. hæc res interna Baptismi conf. 1. Pet. 1. 3. 4. Act. 15. 9. Nec 1. Joh. 5. 8. (ubi genus dicendi non absolutum: sed respectivum est, ad profluxum illum de transverberato CRUCIFIXI latere mysticum Joh. 19. 34.) contrarium probatur: quin inde contra Mylium argumentatus est Hunnius, urgens in *teste secundo* s. *aquâ*, ad Baptismum, in *teste tertio* s. *sanguine*, ad Eucharistiam respectum, non obstante illo, quod Joh. 19. 34. ponatur *sanguis ante aquam*: in loco 1. Joh. 5. 8. *Aqua ante Sanguinem*.

Eccc 3

§. 12. Con-

§. 12. Conclusio IV. *Spiritus Sanctus est quidem res interna Baptismi: sed non solus.* Utrumque probatur ex ipsâ sede Matth. 18. 19. & primum quoque ex Joh. 3. 5. ubi cum aquâ sub unâ particulâ *κα* copulatur *νεῦμα*, idque in *θεοῦ ἁγίου* s. iterato responso Salvatoris, qui ut sic satisfaceret consultori, non potuit non rem Sacramenti plenè sic exprimere, & illi quidem, qui hactenus in Baptismo Johannis non agnoscebat aliam rem quàm aquam, & inde conceperat scrupulos, quomodo *Consilium Dei* de regenerando & salvando dari possit in Baptismo, *Aque lavacro*, & hic medium esse fugiendi ab ira futura & intrandi in regnū cælorum? conf. Matth. 3. 7. Luc. 7. 30. De cetero, cum ex institutione Baptismi Catholici non solum non probari possit: *Spiritus Sanctum tantum esse partem essentialem Baptismi: sed & inde probetur: solum Spiritum S. in contradistinctione Patris & Filii, non esse rem internam vel cælestem Baptismi*, proximæ conclusioni satisfactum.

§. 13. Conclusio V. *Verbum institutionis propriè loquendo non est ipsa res interna Baptismi.* Non quæritur sc. an verbum metonymicè sumtum s. ipsa SS. Trinitas in illo verbo expressa: sed an *Verbum* propriè sic dictum talis res sit? & sic rectè negatur. Licet enim verbum institutionis in ampliacione s. expositione, petendâ ex locis parallelis primæ institutionis e. c. Matth. 1. 6. 11. 14. 16. Marci 1. 4. 5. 8. Luc. 3. 7. 16. 21. Joh. 1. 26. 33. Joh. 3. 5. omnia & singula ad substantiam & efficaciam Sacramenti (Baptismi) pertinentia comprehendat, ipsum tamen verbum Sacramenti non sit res ipsa sive *externa* (e. c. aqua) sive *interna*, nec ipse effectus s. regeneratio: Neque verò valet illatio: Verbum institutionis s. mandati habet rationem causæ efficientis, & in illo *verbum promissionis* (quatenus sc. memoratur *βαπτισμα μετανοίας ὡς ἀφεσις ἁμαρτιῶν*, & per quod, *evitâtâ ira futura, ingressus detur in regnum cælorum & salus aterna obtineatur*, conf. Matth. 3. 7. Marci 1. 4. Joh. 3. 5. Marci

Marci 16. 16.) respectum causæ finalis. E. Verbum institutionis non est res interna Baptismi. Pari enim ratione inferre liceret, nec Christum θεάνθρωπον, nec totam SS. Trinitatem esse rem internam Baptismi, cum SS. Trinitas sit causa efficiens & instituens Baptismum Luc. 3. 2. 3. c. 7. 30. Joh. 1. 33. ipseque Christus illud mandatum baptizandi extendens ad omnes gentes Matth. 28. 19. & ipsa SS. Trinitas, ratione beneficiorum, quorum in Baptismo, ut à singulis personis SS. Trinitatis profluentium singularis, expressâ singularum personarum mentione, datur œconomia, respectum quoque habent actus vel causæ finalis: nec quicquam obstat, quò minùs unum idemque diverso respectu (& citra adeo causarum confusionem) diversam sortiatur causæ rationem.

§. 13. Objicitur 1. Ephes. 5. 26. Resp. 1. locus ille non est prima sedes hujus Sacramenti conf. suprâ in hyp. 4. & 5. Resp. 2. non dicitur: λουτρεῖν ὕδατι & καὶ ῥήματι (etsi ita Syrus reddens נחתה ובמיה רמיה בסחיה) vel ὕδατι & καὶ ῥήματι, prout Joh. 3. 5. homo regenerari dicitur ἐξ ὕδατι & καὶ πνεύματι: sed λουτρεῖν τοῦ ὕδατι ἐν ῥήματι, ut adeo sensus sit: *Christus mundavit Ecclesiam per Baptismum aqua, qui, quod sit tale, non nudum signum: sed efficac & divinum nostre regenerationis medium ac Sacramentum, habet ex verbo institutionis, cum illo mandati, Matth. 28. 19. tum illo promissionis Marci 16. 16.*

§. 14. Objicitur 2. locus Augustini. *Accedit verbum ad Elementum & fit Sacramentum* E. prout in genere omne Sacramentum habet duas partes essentielles, *Elementum & Verbum*, & quodlibet, *Hoc elementum & Hoc verbum*: ita Baptismus, *AQUAM & HOC VERBUM: Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Resp. 1. Minùs accuratè, in determinatione essentialium Sacramenti copulatur substantia cum accidenti e. c. *aqua cum Verbo institutionis.* Contrâ: in Sacramentis N. T. Omnis

Omnis res tam interna quàm externa est substantia, & adeo, positâ una re substantiali, altera quoque substantialis ponenda fuerit. 2. Rectè Menzerus opposuit, hâc ratione, in Sacramento cœnæ, non corpus & sanguinem Christi: sed ipsum Verbum mandati, fore, rem internam Sacramenti. Licet autem altera pars reposuerit, concedendo totum, & invertendo, ut vel sic consequenter probaret: corpus & sanguinem Christi Theologicè loquendo, esse partem essentialē Cœnæ Dominica, omnino tamen, & manet superius absurdum, & periculo non caret, asserere, ipsam rem internam sacrae cœnæ immediatè & primariò esse verbum mandati, Corpus autem & Sanguinem Christi esse rem internam & partem essentialē Sacramenti Cœnæ, non nisi mediatè & consequenter. 3. Quin, si in S. cœnâ res illa interna sacramenti esset illud Verbū Mandati, consequens foret, prout Servator in institutione, illud verbū institutionis vel mandati: *Accipite, edite. Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Bibite, Hoc est Sanguis meus*, demum pronuntiavit, postquam jam fuerat *ἑὐδοκῆτος* vel *ἑὐχαρισῆτος* (conf. Mat. 26. 26. 27. Marci 14. 22. 23. Luc. 22. 19. 20. 1. Cor. 11. 23. 24.) & adeo post consecrationem jam peractam, in ipsâ distributione: ita, quia nostra consecratio (licet fiat per verba institutionis) est repetitio consecrationis à Christo peracta, & nobis ad repetendum mandata (1. Cor. 11. 24.) & sic respondet, non præcisè illis verbis mandati: sed ipsi à Christo peracta consecrationi, consequens in quâ foret, post consecrationē, in ipso instanti distributionis, à ministro Sacramenti, ubi sc. jam porrigit panem & calicem benedictum communicantibus, pronuntianda esse illa verba mandati, idq; vel in numero plurali, pari formulâ, qua Christus usus fuerit in primâ cœnâ, vel in singulari, & ut ad singulos communicantes directâ Oratione tali utatur formulâ: *Accipe, ede! HOC EST CORPUS CHRISTI, quod pro te est datum, & porrecto calice: Bibi: HOC EST SANGVIS N. T. qui pro multis* (vel applicativè, pro Te) *effusus*

*effusus est in remissionem peccatorum! Nec illud saltem consequens foret: sed & ante hoc verbum mandati ita pronunciatum in ipsâ dispensatione panis & calicis benedicti, nullum esse Sacramentum: sed tunc demum, accedente verbo mandati ad Elementum (Panem & Vinum) fieri Sacramentum: quin, si post consecrationem distinctè non pronuncientur illa Verba mandati in ipsâ dispensatione, prout factum post consecrationem in primâ Cœnâ, nullum administrari in Ecclesiâ Sacramentum Eucharisticum, prout sine altero verbo mandati Baptismatis, vel formulâ illâ: *Ego te Baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, nullum datur Baptismi Sacramentum.*

Respond. 4. ad locum Augustini, Neg. Conseq. & invertendo potius, imò, quia *Verbo* (accedente ad Elementum) fit Sacramentum s. quod idem est: *Verbum illud facit Sacramentum*. E. *verbum ipsum ut sic, non est pars essentialis vel res interna Sacramenti, sed saltem facit, ut cum elemento velut re externâ visibili, terrestri (aquâ, vel pane & vino) jungatur modo Sacramentali imperferutabili, res interna, invisibilis cœlestis (e. c. in Bapt. Pater Filius & Spiritus Sanctus, vel in S. cœnâ: Corpus & Sanguis Jesu Christi) & sic fiat Sacramentum.*

§. 15. Resp. 5. Mens Augustini constabit ex sententiâ plenè ex contextu considerata. Extat illa tract. 80. in Joh. ubi ad locum Joh. 15. 3. *Vos mundi vel puri estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, hæc notat Augustinus: Non, ait, propter Baptismum quo loti estis: sed propter verbum quod locutus sum vobis, quia & in Aquâ Verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? ACCEDIT VERBUM AD ELEMENTUM ET FIT SACRAMENTUM, ETIAM IPSUM TANQUAM VISIBILE VERBUM. VERBUM FACIT ut TANTA SIT VIRTUS AQVÆ, ut quando hæc Corpus tangit, Cor abluat: non quia dicitur: sed quia creditur: nam & in ipso verbo, aliud est SONUS transiens, aliud VIRTUS manens. HOC, inquit, est*

Ffff

VER.

VERBUM fidei **PRÆDICATUM**, quod corde creditur ad justitiam, ore autem ejus confessio fit ad salutem Rom. 10. 8. 9. 10. & collato loco 1. Pet. 3. 21. ubi dicitur *Baptisma nos salvare*, confert locum Ephes. 5. 26. ubi quidem dicitur *Ecclesia purificari lavacro aquae*: sed additur: *per VERBUM*, & alterum Act. 15. 9. ubi Deus dicitur *FIDE purificasse corda Gentilium seu illorum ex gentibus discipulorum*, addit: *Mundatio nunquam fluxu & labili tribueretur Elemento, nisi adderetur: IN VERBO*. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum, credentem, offerentem, benedicientem, tingentem etiam tantillum mundet infantem. Constat inde, nil aliud voluisse Augustinum, quam Sacramentum, & quoad substantiam, ut Sacramentum sit formaliter, & quoad efficaciam gratiae, s. ut tale sit efficaciter, dependere à Verbo Institutionis s. mandati & promissionis, velut fundamento & efficiente causâ & sacramenti, & (quando idem verbum corde creditur) causâ in actu, effectus, vel actu 2. salutaris Sacramenti. Cæterum his sic expeditis esto

§. 16. Conclusio VI. (α) Integritas & ipsa quasi essentia Baptismi consistit in actione illâ, quæ mandatur in illis verbis: *Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* (β) & absolvitur a deo (1) *immersione vel aspersione aquae in Baptizandum* (2) & sermone determinato ab instituyente, seu distinctâ & explicitâ Nominis S.S. Trinitatis professione, in quâ compositâ actione illa habet instar materiæ, hæc formæ Sacramenti, & hoc sensu *Verbum ut ad formam Baptismi pertinens & in ipsis verbis institutionis Ordinatam, inque formulâ Baptismali citra immutationem, utut aequipollentem, exprimendum, de essentiâ vel essentiâle est Baptismi.*

§. 17. Notamus hic, prout omne Sacramentum ita *Baptismum*, cum enunciativè, tum definitivè, actionem quandam.

dam mysticā esse, vel potius totum quoddā complexum, & unū morale constans ex pluribus actionibus, quod vel sola testatur institutio singulorum, & in illā vocabula actionē prædicamentalem insonantia e. c. *circumcédite!* Gen. 17. 11. *Iugulate Pascha & comedite* Exod. 12. 8. 9. 11. *Baptizate* Matth. 28. 19. *Edite, bibite, hoc facite!* Matt. 26. 27. 1. Cor. 11. 23. 24. Notamus 2. in ampliatio- ne Sacramenti, quatenus supponit pro totā illā (solemnitate Ecclesiasticā, quæ circa administrationem sacramentorū publicā præscribitur in *Liturgiis*, & his quoque pro varietate locorum alicubi diversis, actiones omnes in 3. (salvā subdistinctione graduum, & usus aliquarum sive majoris sive minoris) distingu posse classes, ut sc. ponantur in primā, *Integrales, immediatè semper & simpliciter ad Sacramentum necessaria*, quibus positis Sacramentum ponitur, prout illis negatis, negatur, quales, prout in Eucharistiā non sunt nisi *panis & calicis benedicti distributio*, illius *comestio & huius bibitio*: ita in Baptismo non sunt, nisi *applicatio aquæ & nominis Patris & Filii & Spiritus Sancti super Baptizandum*, quā utraque applicatione, in sacrā illā actione conjunctā, integer constat *Baptismus*, prout sive utraque sive alterutrā negatā, vel separatā, non solum non integer sed & simpliciter nullus datur *Baptismus*: in classe secundā, actiones, sive *moraliter*, ad præparationem, vel per modum remotionis prohibens, ad salutarem sacramenti perceptionem in adultis requisitæ (ut e. c. informatio adulti, obligatio activa, quæ ab adulto immediatè requiritur, Act. 8. 37. in *Pædobaptismo* autem per sponsores præstatur) sive quoad actū quidem necessaria, quoad speciem tamen actus adiaphoræ, qualis in S. Cœnā est *fractio*, in Baptismo *mersio vel aspersio*.

S. 18. In tertiā classe collocandæ fuerint actiones ceteræ *Baptismales Liturgicæ*, s. in *liturgiis & Agendis Ecclesiasticis* jure quodam positivo humano, decori, doctrinæ intelligentiæ, & inde

inde tantò majoris erga mysterium reverentiæ ac devotionis
causâ præscriptæ, nec temerè rejiciendæ, neque tamen supe-
rioribus illis in classe I. adæquandæ, quales, præter *exsufflationis*,
exorcismi, *abrenunciationis*, signatæque in *fronte & pectore*,
Baptizandi crucis, ac *nomenclaturæ ritus*, sunt, cum illæ, quæ ali-
quando ampliores à ministro præmittuntur Sacramento, *con-*
ciones, tum quæ partim ante, partim post Baptismum, ad adstan-
tes vel ipsos Sponsores diriguntur *communes actiones*, ac præter
has, iteratæ pro Baptizando *preces* (quarum formulæ extant
in Liturgia Baptismali) prælectio textus Evangelici ex Marco
c. 10. 13. 14. 15. 16. *Xerogodia* & benedictio sacerdotalis, quæ proin-
de actiones, quia salvâ integri Baptismi administratione & sa-
lutari perceptione adesse & abesse possunt (prout non saltem
in casu necessitatis extremæ *Laicorum vel Gynæcobaptismo*: sed
& ceteroqui pro dispositione *infantis*, in primis *Baptizandi* infir-
mioris, hinc abbreviatæ vel omnimodæ intermissione amplif-
simus datur locus) accidentales appellantur.

§. 19. Notamus 3. Licet forma & materia rigorosè sic dicta
tantùm sint substantiarum corporearum, non accidentiũ, ana-
logicè tamen etiam in his dare licet quod certâ proportionè illis
respondeat, vel instar principii materialis & formalis cum
Metaphysicè, tũ Logicè habeat, quomodo instar analogi mate-
rialis Logici, habet *genus*: instar formæ, differentia specificæ. Licet
quoque videatur ex æquo *immersionem* vel *asperersionem* illam, ac
Sermonem, in verbis institutionis ordinatum, ad formam Ba-
ptismi referendam, comparativè tamen, pro ratione definiti
& hujus significati formalis grammatici, quo tinctio & sive
immersio in aquam, sive *copiosa aspersio* vel effusio notatur, ab-
stractionis item à variis, qui memorantur Baptismis, non so-
lùm *Metaphoricis* illis c. c. Matth. 20, 22. Marci 10. 38. Luc. 12. 50.
Act.

Act. 1. 5. 1. Cor. 10. 2. vel propriis communibus illis & traditiona-
libus *Judaicis* vel *Pharisaicis* conf. Marc. 7. 4. 8. Luc. 11. 38. sed
& sacris legalibus typicis V. T. Hebr. 9. 10. rectius illa *immer-*
sio vel *aspersio aquae* refertur ad *genus* Baptismi & sic ad materiale:
Verbū autem illud, *consecratorium* pariter ac *μυστήριον*, quod in
illā *aspersione* vel *immersione* praedicatur vel applicatur ad Ba-
ptizandū, ad *differentiam specificam*, & sic ad formale, per quam
sc. *aspersio* illa aquae *generica* ad esse *specificum* Baptismi Sacra-
mentalis N. T. (qui non nisi *Unus specie est*, Eph. 4. 5. cum ce-
teroque dentur varii Baptismi conf. Heb. 6. 2.) contra-
hitur: licet enim *aspersio aquae* ad Baptismum sit necessaria, &
sine illā nullus detur Baptismus propriè sic dictus: tamen non
statim, ubi aqua etiam in sacrā quadem actione aspergitur
vel applicatur: sed ubi cum tali *aspersione aquae* super Ba-
ptizandum, conjungitur in actione sacrā Verbum à *θεοῦ ῥῶμα*
in regulā Baptismali s. verbis Institutionis & mandati *ordinatiū*
ac *determinatum*, ibi jam formaliter fit *Sacramentum* s. Baptis-
mus N. T.

§. 20. Notamus 4. non hic agi de Verbo *Consecratorio*
extra vel ante Baptismum, quale aliquando praemittendum
necessariò est Baptismo adultiorum, imprimis nondum plenè fi-
delium, prout constat ex exemplo & praxi Apostolorum.
Act. 2. à v. 14. ad 41. c. 8. 35. 37. c. 10. 34. & seq. quippe quī
prius per praedicatum verbum fidei sunt docendi, quàm Ba-
ptizandi conf. Matth. 28. 19. Marci 16. 15. 16. Act. 2. 36. 37. 38. 41.
c. 8. 12. c. 16. 13. 14. 15. Rom. 10. 8. sed de verbo ordinationis
s. à Salvatore singulariter ordinato, in & cum *aspersio-*
ne aquae pronunciando, quo adeo pronunciato & cum
praesenti immessione aquae in baptizandum conjuncto, jam
formaliter sibi constat *Baptismus integer*, qualem SS. Trinitas
instituit, & *θεοῦ ῥῶμα* ad omnes gentes per mandatum pecu-
liare

liare extendit, conf. Matth. 3. n. 14. Marci 1. 8. Luc. 3. 16. Joh. 1. 26. 33. c. 3. §. 22. 23. c. 4. l. 2. Matth. 28. 19. Neque vero attinet hic excutere quæ de verbo sacramenti *consecratorio & concionatorio* movent Papistæ: illud ipsum enim Verbum quod Sacramenti est consecratorium, simul est *Concionatorium* s. tale Verbum fidei quod prædicatur, & in quo mysterium SS. Trinitatis & beneficiorum cœlestium continetur, etsi non contra: *Omne verbum Concionatorium, est consecratorium* (Elementi Sacramentalis)

§. 21. Conclusio VII. *Ilia res, quæ exprimitur in illâ actione composita, quæ est Baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & applicatur Baptizando, rectè habetur & appellatur res Sacramenti, quæ proinde gemina est, una, quæ applicatur ex actione materiali, eademq; res externa, altera quæ ex actione formali s. ipso verbo ordinationis, eademque res Sacramenti cœlestis & interna, ac in illâ sacrâ actione vel applicatione velut forma, per quam unitam, jam ipsa quoque aqua cœlestis quædam res & omni credenti salutaris aqua regenerationis est. Constat hic aphorismus ex consideratione Baptismi cum absolutâ, tum respectivâ, cum aliis Sacramentis. Atque sic Baptismus ille aquæ, seu qui administratur *in vâdâ*, jam fit Sacramentum, & tale *βάπτισμα vâdâ* & *lavacrum regenerationis ac renovationis* Tit. 3. §. 5. instrumentum efficacissimum mundandi à peccatis Eph. 5. 26. salvandi *Baptizatum* ab irâ futura & hunc liberandi à securi & igne inextinguibili, conf. Matth. 3. 7. 10. 11. 1. Pet. 3. 21.*

§. 22. Ita Sacri Paschalis, essentialis quasi pars erat *maçtatio* & certo ritu præstanda *manducatio* agni Paschalis, typicè representantis agnum illum Dei maçtandum pro peccatis mundi, cujus Corpore & sanguine, mediante Pane & vino, in sacrâ
cœnâ

cœnâ pascimur. Inde ergo extrahitur *res externa* illius Sacramenti sc. ipse agnus vel *caro agni*, & *res interna* s. cœlestis, *agnus ille Dei manducandus* (in sacrificio crucis) & *manducandus in Sacramento* (Nov. Test. seu Cœnâ Domini) quæ tamen ibi non dabatur, nisi quoad *σκιάν* s. *umbram*, etsi nec hanc plene adumbrantem vel representantem. Ita, de Sacramenti cœnæ, ut actionis sacramentalis essentiâ (s. materiâ & formâ) quasi, est *manducatio panis benedicti*, qui est *συνώνια* ipsius Corporis Christi, & *bibitio calicis benedicti*, qui est *συνώνια* sanguinis Jesu Christi. Ex illâ adeo actione integrali & (quatenus non ita accidentaria est, ut salvo Sacramento possit *adesse* vel *abesse* sed talis, ut citra integram illam non detur verum & integrum S. Cœnæ Sacramentum, in tantum) essentiali, sacramenti, educenda est *res externa & interna* Sacramenti, quæ adeo ibi est *externa* quidem *panis & vinum*: *interna* autem *Corpus & Sanguis Jesu Christi*,

S. 23. Conclusio IIX. *Quàm verè adeo e qua est Baptismi res externa, qua applicatur per aspersionem aquæ, conjunctam cum ordinato illo sermone: tam verè Pater Filius & Spiritus Sanctus, & adeo SS. Trinitas (cujus una essentia, & proinde una & equalis majestas & nomen est) vel Deus trinunus res interna & cœlestis Baptismi est.* Conclusio hæc, velut conlectarium est conclusionû & hypothesium superiorum, per quas etiam à primariis instantiis & objectionibus vindicatur. E. c. Primarium argumentum olim oppositû, fuit illud ab umbrâ sc. *Omniun. Sacramentorû N. T. res interna vel cœlestis in V. T. tantum fuit ad umbrativè. SS. Trinitas ibi non fuit ad umbrativè. E. nō est res interna Baptismi.* Licet autem limitatione videretur expediri posse major, sc. sive absolute & simpliciter, quoad ipsâ *essentiam* vel *substantiâ*, sive respectivè tantum & secundum quid, quoad *operationē* vel *Sacramentale* *talē energiã*, ibi tantum fuit ad umbrativè, & ut hæc postere
riore

riore ratione, concessâ majore negetur minor, prout priore modo concessâ minore, negetur major. *Adumbrata* sc. S. S. *Trinitas* sic fuerit non absolute quoad ipsam substantialem adfentiâ vel substantiam: sed respectivè certo quodâ modo quoad illam formalem sacramenti actionem vel energiam, ut sc. per talem asperisionem in nomine S. S. Trinitatis fiat Baptismus, & adeo S. S. *Trinitas* detur in tali Sacramento: tamen vitium datur in formâ, quia major *particularis*, unde ἀνομοιογία jam supra notata. Perinde sc. infertur ac in hoc syllogismò: *Omnia contradictionis altera pars est vera: sed hæc: Cœlum non movetur est contradictionis altera pars. E. hæc est vera. Ita hic, si inferatur: Quadam pars vel res interna omnium Sacramentorum N. T. in veteri Testamento tantùm fuit adumbrativè, vitium datur in forma: si ita: omnia res interna omnium Sacramentorum N. T. in veteri Testamento tantùm fuit adumbrativè, jam quidem non datur vitium in formâ: sed major est falsa, & adeo concessa mire negatur major.*

S. 24. Objicitur 2. *S. S. Trinitatem esse rem internam Baptismi, nec pñs in scripturâ legitur, nec per bonam consequentiam syllogisticam inde educitur. E. non est res interna Baptismi. Resp. Antecedens, quoad membrum 2. simpliciter negatur, & oppositum ex ipsis verbis institutionis probatur, non excluso loco illustri Joh. 3. 5. Cujuscunq; rei mentio fit in institutione Sacramenti Baptismi, illa huic vel est essentialis, vel accidentalis. S. S. Trinitatis fit mentio in institutione Baptismi E. illa vel est Sacramento accidentalis, vel essentialis. Non t. sic enim salvâ integritate Baptismi, illa verba: in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti omitti possent, quod non solùm contra communem nostrorum; sed & Pontificiorum, & Calvinianorum Theologorum sententiam & consensum est. E. 2. Porro, si essentialis, ergo vel externa, vel interna, Non illa, quæ est aqua. E. interna. Quin aut*

aut S. S. Trinitas fuerit res interna Sacramenti, aut nulla. Absurdum autem posterius. E. verum prius. Major patet, quia nullius alterius rei substantialis mentio fit in verbis institutionis aut inde erui potest. Quomodo autem in Filio intelligatur totus θεῶν πατρις, & cum inde, tum ex naturā N. T. non excludatur à re internā sacramenti Corpus & Sanguis Christi, abunde notatum jam supra est.

§. 25. Frustra objicitur. 3. metuendam sic causarum confusionem, cum sc. SS. Trinitas sit causa efficiens E. non res interna, cum causa existendi non sit causa essendi. Resp. enim diverso respectu, eadem SS. Trinitas & causa efficiens est, & res interna Sacramenti Baptismi, vid. supra. 2. Quia ipse Christus θεῶν πατρις etiam secundum naturam humanam causa instituens & efficiens est utriusque Sacramenti, & tamen juxta illos, secundum humanam naturam sc. Corpus & Sanguinem, est res interna Baptismi, prout sanè Eucharistia Sacramenti.

§. 26. Frustra objicitur 4. Illa verba institutionis Matth. 28. 19. aliud notare, quàm rem internam sacramenti. Resp. 1. Subordinata non pugnant: illis sc. verbis diverso respectu & auctoritatē significari instituens, & formā Sacramenti, & Oeconomiam salutis, per quandam consignificationem Ordinis Personarum & per has beneficiorum, à singulis personis profluentium, Patris sc. Filium Redemptorem dantis, & per hunc in Spiritu S. regenerantis, & adoptantis, Filii redimentis, & uniuersa sue passionis merita nobis applicantis, nosque sua morti & resurrectioni per Baptismum inferentis, Spiritus S. velut arrhabone hereditatem illam in Baptismo oblatam obfirmantis. Neque obstat, quod objicitur 4. à Johanne & Apostolis illa formula non administratum Baptismum: Respond. quippe I. Committi fallaciam causa. Posito sc. illo, prout tunc non obligaverit, antequam à Servatore præcepta: ita ex quo præcepta & præscripta, sine exce-

Gggg

• prio.

ptione obligaverit. 2. Quæ rem ipsam, etiã ante illam extensionem mandati Matth. 28. 19. potiùs probatur contrarium conf. Luc. 3. 21. 22. Joh. 1. 32. 33. 3. à negatione illius expressæ mentionis in mandato, ad negationem obligationis ejus in facto valet consequentia: at non contrã, à negatione expressæ mentionis ejus in facto vel praxi Apostolicã, ad negationem obligationis vel usurpationis. Non valet: *Apostoli nusquam memorantur Baptizasse in nomen Patri Filii & Spiritus S. E. non ita Baptizarunt.* Invertendum potiùs argumentum fuerit sc. *Quia Apostoli ex Mandato Christi Baptizarunt*, proinde etiã ita & juxta illud Verbum à Servatore ordinatum baptizarunt. Qui sc. *docere* debebant in ipsa Baptismi collatione *omnes gentes, observare omnia præcepta Domini*, Matth. 28. 20. non præsumendi sunt illius transgressores & prævaricatores præcepti.


§. 27. Frustra objicitur 5. *SS. Trinitas non potest dici materia, prout aqua.* Resp. concedendo *Physicè*, negando *Sacramentaliter & mysticè*, quomodo id quod *immateriale simpliciter* est, *materia* tamen cœlestis mysterii vel *Sacramenti* dici potest. 2. Nec opus est ut *S. S. Trinitas* dicatur *materia* Sacramenti: sufficit appellari *rem internam vel cœlestem Sacramenti*. Frustra objicitur 6. *E. SS. Trinitas confertur omnibus Baptizanda, etiã hypocritis.* Resp. 1. *Sacramentaliter* affirmando, *salutariter* autem s. quoad *effectum gratiæ regenerationis*, negando. 2. Ita in *S. Cœnâ Corpus & Sanguis Christi* quoad *substantiã*, vel velut *res interna* Sacramenti, percipitur ex æquo ab omnibus communicantibus: quoad *efficaciã salutarem* autẽ s. eo modo, qui describitur Joh. 6. 53. 54. 55. 56. non nisi à *credentibus* s. verè *fidelibus*. Frustra objicitur 7. *E. Sanguis Christi non immediatè adest aquæ Baptismi: sed saltem in λόγῳ, nec immediatè in Baptismo, mundat à peccatis: sed in λόγῳ & per λόγῳ.* Resp. Non quaeritur de modo ad-
essent

essentia & energia: sed re internâ Sacramenti. Caro & Sanguis s. humana natura Christi, quoad præsentiam hypostaticâ intimâ adest soli λόγῳ, & tamen totus Christus præsens est & adeo operatur apud omnes creaturas, & specialiter in regno gratiæ cum extra Sacramentū, tum in Sacramento, neq; ita ut λόγος creaturis adsit & operetur non nisi mediatè, caro autem & adsit & operetur immediatè vel contrà: sed & ἰ λόγῳ & caro, vel totus Christus secundum utramque naturam & adest, & operatur, immediatè in regno potentia, gratiæ & gloria.

§. 28. Frustra objicitur 8. Autoritas Theologorum, Resp. Sive hæc allegetur pro probandâ re internâ Baptismi, solâ Carne vel Corpore & Sanguine Christi, sive contra S. Trinitatem velut rem internam in Verbis institutionis ordinatam, utriq; objectioni satisfactum jam supra est. Committitur sc. Parallogismus oppositorum, & Ignorationis Elenchi. Nec enim valet illatio: Theologi ex naturâ Novi Testamenti in hujus Sacramentis, non umbram admittunt μετέωρον, qualis dabatur in V. T. & ejus Sacramentis. E. ipsum Corpus & Sanguinem Christi sic admittunt in Baptismo N. T. ut non solùm quod substantiam adsint: sed & in illo æquè, ac in S. Canâ constituent rem internam & Cælestē Baptismi, & pari ratione, quâ ibi cum pane & vino, uniantur cum aquâ, & quidem sic, ut immediatè sola illa constituent rem internam Baptismi, non Pater Filius & Spiritus S. Ita non valet: Theologi orthodoxi in illis verbis, quibus ordinatur forma Baptismi, agnoscunt autoritatem simul contineri instituentis, & effectum ac operationem gratiosam Sacrosanctæ Trinitatis E. non rem internam Baptismi E. non agnoscunt in illis verbis obligantem Baptismi formulam: item: Theologi S. S. Trinitatem esse rem internam Baptismi non semper expressè memorant. E. id negant, Satis, quod vel in ipsâ definitione

tionem Baptismi mentionem faciant SS. Trinitatis, quomodo Philippus & Chemnitius in loc. Theol. Chytræus quoque ab alterâ parte objecti, dum definiunt Baptismum, esse *actionem sacram à Deo institutam, constantem immersione hominis in aquâ & pronuntiatione verborum: Ego Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* (cetera enim, quæ adduntur, de gratiæ oblatione, applicatione, regeneratione vel renovatione & hereditate vitæ æternæ s. hujus certitudine, ad effectum & finem Baptismi pertinent) hoc ipso vel maximè faciunt, pro S. S. Trinitate velut re internâ Baptismi.

§. 29. Addimus nunc saltem pulcherrimum monitum Augustini ex libro de unit. Eccles. c. 3. *Non audiamus: Hæc dico, hæc dicis: sed audiamus: Hæc Dicit Dominus. Sane certè libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. IBI QUÆRAMUS ECCLESIAM. IBI DISCUTIAMUS CAUSAM NOSTRAM. Auferantur ergo illa de medio, quæ adversus nos invicem, non ex divinis Canoniciis libris: sed aliunde recitamus. Nolo humanis documentis: sed DIVINIS ORACULIS sanctam ECCLESIAM demonstrari. Si Christi Ecclesia Canonice Scripturarum divinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus est designata, aliis dicentibus: Ecce hic Christus, ecce illic, audiamus potius, si Oves ejus sumus, vocem Pastoris dicentis: NOLITE CREDERE! & IN SCRIPTURIS SANCTIS, CANONICIS eam requiramus. Idem alibi: Auferantur, inquit de medio charta nostra, procedat in medium codex Dei. Audi Christum dicentem Audi veritatem loquentem. Conf. in hunc sensum pulcherrima, præsertim in Aug. epist. 19. ad Hier. 48. ad Vincent. (quæ & allegantur in Iure Pontificio dist. 9. c. 5. 9. conf. quoq; c. 3. 4. 8.) & lib. 2. cont. Cresc. Donat. c. 32. Hom. item in Pl. 21. ac alibi, & constabit quo loco in re Theologicâ & quæstionibus fidei habendum sit argumentum ab auctoritate sive Patrum, sive propiorum Theologorum.*





essentia & energia: sed re internâ Sacramenti. Caro & s. humana natura Christi, quoad præsentiam hypostaticam adest soli λέγα, & tamen totus Christus præsens est operatur apud omnes creaturas, & specialiter in regno cum extra Sacramentum, tum in Sacramento, neque ita creaturis adsit & operetur non nisi mediare, caro autem sit & operetur immediate vel contra: sed & ἰλέγε & carnis Christus secundum utramque naturam & adest, & tur, immediate in regno potentia, gratia & gloria.

§. 28. Frustra obicitur §. Autoritas Theolog. Resp. Sive hæc allegetur pro probandâ re internâ Baptismi Carne vel Corpore & Sanguine Christi, sive contra SS. Trinitatem velut rem internam in Verbis institutionis ordinatam, objectioni satisfactum jam supra est. Committur scilicet gignimus oppositorum, & Ignoratiois Elencbi. Nec enim valet ratio: Theologi ex naturâ Novi Testamenti in hujus Sacramenti, non umbram admittunt μερόσταν, qualis dabatur in & ejus Sacramenti, E. ipsum Corpus & Sanguinem Christi mittunt in Baptismo N. T. ut non solum quod substantia adsint: sed & in illo æquè, ac in S. Canâ constituent rem internam & Cælestē Baptismi, & pari ratione, quâ ibi cum pane & uniantur cum aquâ, & quidem sic, ut immediate sola illa constituent rem internam Baptismi, non Pater Filius & Spiritus Sanctus Ira non valet: Theologi orthodoxi in illis verbis, quibus ordinatur forma Baptismi, agnoscunt autoritatem simul constituentis, & effectum ac operationem gratiosam Sacramenti Trinitatis E. non rem internam Baptismi E. non agnoscunt illis verbis obligantem Baptismi formulam: item: Theologi S. S. Trinitatem esse rem internam Baptismi non semper præse memorant E. id negant, Satis, quod vel in ipsâ

